



# GEOMETRIÆ

## PRACTICÆ

### LIBER SECVNDVS.

Linearum rectarum per Quadrantem Astronomicum Dimensionem explicans.



**N**OMINE linearum rectarum intelligimus distantias locorum, seu interualla, longitudinesue: altitudines turrium, edificiorum, arborum, & montium: ac postremo profunditates puteorum, vallium, atque fossarum. Ad harum Dimensiones varii varia adhibent instrumenta; quibusdam enim placet scala altimetra in dorso Astrolabii, seu planisphaerii descripta. Aliis radius Astronomicus Gemmae Frisii, vel radius dictus Latinus, quod à Domino Latino Ursino nobili Romano excogitatus sit; vel baculus iacob: Aliis annulus Astronomicus, vel Holometrum; Aliis denique alia instrumenta arrident. Mihi vero præ cæteris probatur Quadrans Astronomicus in 90. gradus distributus: & Quadratum Geometricum tum stabile, tum pendulum, cuius duo latera in certas quasdam partes æquales sint diuisa. Hoc autem 2. lib. qua ratione per Quadrantem Astronomicum Dimensio linearum rectarum perficiatur, docebimus. Quæ ratio vt intelligatur, in promptu, & ad manum esse debent tabulae sinuum, Tangentium, atque secantium in nostro Theodosio, & in aliorum auctorum libris descriptæ, unde petenda erunt. Superuacaneum enim esse duximus, easdem hic repetere, ne opus in maiorem formam excrescat.

**DISTANTIAM** in plano, siue accessibilis ea sit, siue inaccessibilis per duas stationes in eodem plano factas per Quadrantem metiri, quando in eius extremo erecta est altitudo aliqua perpendicularis, etiamsi infimum eius extremum non cernatur. Atque hinc altitudinem quoque ipsam elicere.